



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

30. De demigrantia Clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

lumniam ingesserit , à liminibus sanctæ Eccle-
siæ arceatur usque ad condignam satisfactio-
nem.

Ex Concilio Rotomagensi.

XXIX. *Capitulum manuscripto nostro
deest.*

De demigrantia Clericorum.

XXX. Cùm fraternitatem tuam confida-
mus canonum statuta & vigorem dirigere dis-
ciplinæ, hoc tibi indagandum mandare cura-
vimus, ne ingenui Clerici, qui capacioris &
argutioris sunt ingenij, ad loca quæ scientia &
doctrina excellentiora conspiciuntur, discendi
(*ditescendi*) gratia præ (*nisi habita*) utilitate
Ecclesiæ suique necessarij petendi *causa* trans-
cendant.

Invidia Pontificum sæpe prohibentur, dum
c. xx. Chalcedonensis Concilij eis opponunt,
ubi dicitur Clericos in Ecclesia administrantes
in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non
oportet, & sequentia invida obfuscatione abo-
lent, ubi illi excipiuntur qui ex necessitate ad
aliam Ecclesiam transferint. Magna sanè ne-
cessitate premitur qui fame constringitur; &
qui injuria arctatur insipientiæ, opus habet
refici doctrina scientiæ. Inter fugitivum deni-
que & studiosum cautè ab Episcopo discretio
prospici debet, ut ille locum delitescendi non
inveniat, isti verò locum in melius mutare &
ire de virtute in virtutem offendiculum non
opponatur, sed caritatis adjutorio, quæ nun-
quam excidit, sublevetur. Igitur si piè & justè

426 SECUNDA APPENDIX
recto currebant haecenus viam tramite vite,
pro religione perfectiora expetere loca licen-
tiam eis non denegandam esse censuimus,

De odio in fratres.

XXXI. Si quis odium contra fratrem suum injustè habuerit, hunc Deus à suo separat regno & à cœlo subtrahit; quia odium nec passione ei adimitur, nec martyrio expiatur, nec sanguine fuso deletur. Derrahere autem alteri per odium, sui commodi causa, magis est contra naturam quàm mors, quàm dolor, vel cetera hujusmodi mala.

Sanctus Gregorius dicit, item Augustinus,
de odio.

XXXII. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti. Si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

Gregorius Papa de lapsis sacerdotibus.

S Gregor. lii 1
1. epist. 42.

* proficiant

XXXIII. De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex clero, id observari volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciunt, & in eisdem monasteriis lapsos ad pœnitentiam trade, ut res lapsorum in eo loco * perficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur; quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt. Si verò